



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Vniuersis Sarracenis in Sicilia constitutis, in deuotione nostra & fidelitate
regia permanere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

neres, cum in possessione dicaris subjectionis ipsius monasterij constitutus, non duximus admittendam; sed dilectis filiis... de Luceio &... Sancti Salvatoris Papien. Abbatibus, quibus correctionem commisimus monasterij tam in capite quam in membris, concessa eisdem nihilominus potestate rebelles per censuram ecclesiasticam coercendi, dedimus in mandatis ut ad locum pariter accedentes, una cum tuo consilio utilitatibus antedicti canonicis studeant imminere; ita quod si electum inutilem invenerint ad regimen abbatiae, sine praesudicio tuo ipsius resignatione recepta, talem ibi per electionem canonicam praefici faciant in pastorem qui praesse noverit pariter & prodesse. Datum Later. Kal. Decemb.

CENTIO SUBDIACONO
& Notario nostro, Restori, Iudicibus,
Consulibus, & populo Beneventan.

Epist. 225.
De poena illius
qui Consulem
interemit.

CVm impunitas scelerum parere consueverit audaciam delinquendi, sic malefactorum excessus animadversione sunt debita puniendi, ut & ipsi poenitent de commissis, & ceteri qui audierint, suam a consimilibus metu poenae retrahant voluntatem. Licet enim ex apostolicae servitutis officio sollicitudo nobis imminet generalis, de illis tamen qui spiritualiter & temporaliter nostrae sunt jurisdictioni subiecti, nos oportet sollicitius cogitare, quatenus sub nostro regimine boni digna recipiant praemia meritorum, & malos debita ultionis poena castiget. Audivimus equidem, & non potuimus non moveri, quod Ger. filius Roffridi, civis Beneventanus, diabolico inebriatus veneno, Dei & nostro timore postposito, & honore Beneventanae civitatis abjecto, Iacobum de Sculdasio, dum consulatus fungeretur officio, interfecit; & pater ac frater interfectoris, qui tam atroci sceleri personaliter interfuisse dicuntur, licet in praesentia vestra se nostro juraverint conspectui praesentare, ad nos tamen (sicut credimus) non venerunt; immo tam praedictus homicida quam ipsi in civitate Beneventana non metuunt, sicut audivimus, commorari. Volentes igitur ut malefactorem praedictum & fautores ipsius debita poena percussat, & civitas Beneventana similem in posterum valeat evitare jacturam, praesentium auctoritate statuimus ut memoratus homicida

de cetero Beneventanam civitatem non audeat introire, nec hereditatis paternae percipiat aliquam portionem; immo pars ejus, si patrem praemori forte contigerit, ad opus curiae reservetur; nec unquam in eadem civitate praevaleat aliquod officium gerere dignitatis, nisi forte fuerit illi concessum ex indulgentia sedis apostolicae generali. Hoc etiam idem futuris temporibus decernimus observandum de illis qui Iudices, Consules, Regalenses, vel alios ministeriales curiae vulnerare aut interficere qualibet temeritate praesument. Patrem autem & fratrem homicidae jam dici ramdiu extra civitatem vestram praecipimus permanere, donec ad praesentiam nostram accedant, & ad vos cum litterarum nostrarum testimonio revertantur. Salvo nihilominus apostolicae sedis mandato, si quid super hoc fuerit severius statuendum. Nulli ergo &c. hanc paginam nostrae constitutionis &c.

UNIVERSIS SARRACENIS
in Sicilia constitutis, in devotione nostra
& fidelitate regia permanere.

CVm vos audivimus & gaudemus in ritu vestro servasse hactenus & adhuc servare rigorem, ut fidem dominis vestris juxta morem vestrum exhibitam servaveritis, & servetis illatam, nec eam duxeritis aliquando violandam quod in facto Marcoualdi optamus manifestius experiri, ut vos nec promissionibus allicere possit, nec minis aut violentia deterrere, quin in fidelitate carissimi in Christo filij nostri F. Siciliae Regis illustris fideliter persistatis, & ipsius Marcoualdi resistatis conatibus viriliter & potenter. Illa etenim in temporalibus discretione vigetis, ut & bona discernentes a malis, & a bonis etiam meliora, despectis & abjectis pessimis, optima quolibet eligatis. Nostis siquidem, sicut credimus, ex auditu mansuetudinem apostolicae sedis, quae sic superbis resistit ut humilibus & subiectis det gratiam. Nostis & per experientiam tyrannidem Marcoualdi, quae his solis parcit quibus nocere non potest, sed saevit tanto fortius in subiectos, quanto se amplius in ejus curaverint humiliare conspectu, retribuens mala pro bonis, & odium pro dilectione rependens, sicut ex ejus patet operibus manifeste. Scitis etenim qualiter eos quorum vocatione olim cum

Epist. 226.
Ne contra ve-
rum Siciliae
Regem adhae-
reant Mar-
coualdo.

Vide supra epist.
279.

domino suo regnum intraverat, quorum prodicione occupaverat regni arces, imo etiam totum regnum, non solum omnibus bonis fecerit spoliari, sed animadvertens etiam in personas, eos in exilium destinaverit, & tandem fecerit mutilari. Audistis etiam & vidistis immanitatem ipsius, qualiter sacerdotes & alios precipitavit in mare, qualiter multos flammis exusserit, qualiter omnes & singulos flagellarit. Intelligere quidem vos credimus & pro firmo tenere quod si Christianis ejus oculus non pepercit, non parceret etiam Sarracenis, in quos tanto saeviret liberius, quanto se majus crederet obsequium prestare Deo, effundendo sanguinem paganorum. Qui enim in dominum suum & domini sui filium, qui eum de pulvere suscitavit, & erexit de stercore, conjuravit, & eum materna nititur possessione privare, malignaretur severius in alienigenas, imo in alterius ritus & observantiae disparis nationes, quarum sanguine suas sitit inebriare sagittas & gladium cruentare, & qui contra salutem animae suae Christianorum diripit spolia, si contra vos vel violentia vel astutia prevaleret, ad suum vos subsidium vanis promissionibus invitando, divitias vestras penitus exhauriret, & suis daret in praedam. Sane nec juramentum vobis nec promissiones aliquas observaret, qui juramentum nobis publice praestitum non servavit. Intelligentes igitur intelligite veritatem, & in solita progenitorum vestrorum & vestra fidelitatis constantia permanentes, non subijciatis vos & vestros posteros jugo ejus: quod etsi videretur in initio leve, colla tamen gestantium in fine confringeret, & vel nullus vel inutilis esset poenitentiae locus, postquam cancer vitalibus irrepsisset. Cogitare debetis quod cum contra Sarracenos multi jam conjuraverint Principes Occidentis, & multa populi multitudo, assumpto crucis signaculo, in proximo disposuerit transfretare; si vos contra Christianos Marcoualdo, & Marcoualdum vobis contra Regem puerum contingeret adherere, in vos arma converterent; & Marcoualdus, cum vires eorum sustinere non posset, ipsos animo volens vel in vitus sanguine vestro placaret, & vitam suam redimeret morte vestra. Monemus igitur universitatem vestram, consulimus, & hortamur, per apostolica vobis

scripta districtè praecipiendo mandantes quatenus in hoc progenitorum vestrorum constantiam imitantes, nec ingrati beneficiorum quae vobis Reges Siciliae contulerunt, attendentes etiam mansuetudinem apostolicae sedis, quae vos non solum manutenere vult in bonis consuetudinibus, sed augere in devotione vestra & fidelitate regia persistatis, nec credatis promissionibus & fallaciis Marcoualdi, qui ad hoc solum promittit ut fallat, ad hoc fallit ut vos possit suae tyrannidi subjugare. Nos autem in defensionem vestram & expugnationem ipsius, dilectum filium C. tituli sancti Laurentij in Lucina Presbyterum Cardinalem, & venerabiles fratres nostros Neapolitanum & Tarentinum Archiepiscopos, & dilectos filios nobiles viros Ia. Marefalcum & O. de Palumbria consanguineos nostros, in regnum dirigimus cum exercitu copioso: ante cujus conspectum Marcoualdus subsistere, dante Domino, non valebit, sed cum universis sequacibus & fautoribus suis irreparabiliter contentur. Dedimus autem eidem Legato & omnibus nuntiis nostris districtius in praecipitis ut vos manuteneant & defendant, & in bonis curent consuetudinibus adaugere. Dat. Laterani.

NIVERNENSI EPISCOPO.

Pervenit ad audientiam nostram, I. sacerdote de Naizin ordine Cisterciensi novitio intimante, quod cum adhuc esset in habitu saeculari, quidam servientes, quod quidam homo, quem querebant, abiisset, ab eo cum instantia quaesiverunt: qui cum ad quid eum quaerent ignoraret, illic eum esse respondit: ad quem locum illi protinus venientes, nec eum inveniunt ibidem, postea inventum alibi patibulo suspenderunt. Verum quia eum aliquantulum conscientia remordebat, bonae memoriae H. Bituricensis Archiepiscopo, qualiter factum fuerat, intimavit: qui eum a Missae celebratione prohibuit, donec uteretur consilio saniori. Nunc autem quoniam ad ordinem Cisterciensem se transtulit, a nobis misericordiam postulat & requirit. Cum igitur praefatus sacerdos in hoc commendandus existat quod a nobis duxit consilium requirendum, quia bonarum mentium est ibi culpam agnoscere ubi culpa non est; fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatenus

Epist. 217.
De absolutio-
ne sacerdotis,
qui hostibus in-
dicat homi-
nem, quem illi
laqueo strangula-
runt.